



## **Jus Canonicum Practice Explicatum**

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,  
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1728**

Quæst. An Episcopus possit cognoscere de actu talitr confirmatio?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

vel nuntium direxit, modo non prius  
vel citatione praeventus fuerit, vel  
cognoverit ante arreptum iter, cau-  
sam jam fuisse à dicta Sede alicui com-  
missam seu delegatam; tunc enim  
perinde est, ac si ad Sedem Apосто-

licam provocasset, ita ut Judex alius,  
coram quo fuisset conveniendus, pro-  
cedere contra ipsum nequeat. *c. un.  
cit. c. 9. c. 30. de appellat. P. Wiestner  
ad h. t. n. 2.*

## TITULUS XXX.

### De Confirmatione Utili, vel Inutili.

#### DECISIO LXXIII.

De Confirmatione donationis Decimarum à Ponti-  
fice facta, & coram Episcopo impugnata.

#### SPECIES FACTI.

Wilhelmus Germaniæ Princeps  
fundato à se Hospitali assi-  
gnavit, & cum consensu Episcopi do-  
navit decimas satis magni districtus,  
atque hujus donationis confirmatio-  
nem à Sede Apostolica impetravit:  
Successor Wilhelmi has decimas re-  
cupere cupiens donationem tan-

quam invalidè factam impugnavit co-  
ram Episcopo. Sed Hospitale pro-  
vocavit ad Summum Pontificem; qui  
donationem confirmavit, & Episco-  
po potestatem esse cognoscendi de  
actu per Pontificem confirmato ro-  
tundè negavit. Proin resolvenda est

#### QUÆSTIO.

Quæstio. An Episcopus cognoscere possit de hac donatione Decima-  
rum à Pontifice confirmata?

Non desunt fundamenta Juris pro  
facultate cognoscendi ex parte  
Episcopi, uti l. Confirmatio hæc Pa-  
palis fuit data solùm in forma com-

muni: Sed talis confirmatio Superio-  
ris non impedit cognitionem inferio-  
ris. per *c. illa 2. ne Sede vacante. Et c.  
quia diversitatem 5. de concess. preb.  
ergo.*

ergo. II. Confirmatio in forma communi nihil tribuit de novo: ergo, sicut eam non obtentam penes inferiorem, nempe in hac hypothese penes Episcopum, fuisse cognoscere de valore donationis decimarum, etiam penes illum erit obtentam confirmatione Papali in forma communi. III. Concessio Principis in dubio ita interpretanda est, ut nullum tertio præjudicium inferat. l. 2. §. *siquis à Principe* 16. ff. *Ne quid in loco publ.* Sed hic est dubium, an nempe confirmatio Superioris impediat cognitionem inferioris, & si impediret, grave præjudicium inferretur inferiori Judici, quia nimirum auferretur ipsi potestas cognoscendi de causa per Superiorem confirmata: ergo dicendum est, quod non impediat. IV. Si esset aliqua ratio, quare non posset cognoscere inferior de actu per Superiorem confirmato, esset hæc, quia Superior, v. g. Pontifex, semel manum apposuit per confirmationem: sed hæc ratio est nulla; quia juxta c. 10. *de Rescriptis*. non obstante manûs appositione per Pontificem factam Judex inferior de ipso negotio cognoscit: ergo. V. Potest à Canonicis revocari statutum, quod fecerunt de abrogando officio Primitiæ in sua Ecclesia, de certo numero Canonicorum &c. licet confirmatum fuerit à Summo Pontifice. c. 8. c. 9. *de Constit.* c. 25. *de Præb.* ergo in potestate inferiorum est cognoscere & disponere de actu per Pontificem tanquam Superiorem confirmato.

Sed verius est oppositum, loquendo in forma confirmatione de etiam in communi; nam de confirmatione in forma speciali omnino certum est. Confirmatio in forma communi vel simplex dicitur esse, quando Superior nulla præcedente causa cognitione simpliciter confirmat actum ab inferiore gestum, & hæc tantum comprobatur, quod est legitime & recte gestum, non verò tribuit vim actus prius invalidè gesto. c. 47. h. t. *de privil.* E contra Confirmatio in forma speciali est, quando Superior confirmat actum prævia cognitione pensatis negotii circumstantiis & qualitatibus, vel addit clausulam, *acta scientia* &c. & hæc etiam præ aliis nullum convalidat, etiam reddidit firmum, ac omnem defectum, si quis in ipso actu commiserit. Text. Gl. Laym. & alii communiter in c. 1. *de translat.* Unde non tam est confirmatio per se supponit existere ac non cui accedit, quam nova concessio dispensatio, aut privilegium. Quod autem de actu in forma communi confirmato nequeat inferior cognoscere, colligitur ex c. 1. *de act.* in f. & à contrario sensu c. fin. *ut lite pend.* & c. 21. *privileg.*

Id ipsum verò probatur etiam de actu in forma communi confirmato l. ex c. 1. §. 2. h. t. ubi indistincte statuitur, Judicem inferiorem posse cognoscere de causa per Superiorem confirmata.

orem confirmata. II. Quoties Superior manum apponit in aliqua causa, veliam impartitur auctoritatem, tunc eam causam vel negotium avocare creditur ad se, & quasi assumere in suam protectionem, facitque quasi licet. c. 22. de Præb. in 6. ut adeo impedit inferior de illo cognitionem. c. 76. de appellat. c. licet de off. legat. Sed Pontifex, vel alius Superior confirmans actum vel negotium eam in forma communi tantum, ei dem manum apponit, suamque impertit auctoritatem: ergo etiam confirmatum in forma communi negotium, vel actum facit suum, avocare ad se, & in suam assumit protectionem, consequenter impedit inferior cognitionem. III. Inferior tenetur observare mandatum Superioris, quod culpatur 23. q. 1. sed confirmatio, sive sit in forma speciali sive in forma communi, involvit mandatum seu præceptum Superioris, ne inferior se ingerat circa causam ab ipso confirmatam. c. 1. h. t. ergo. Atque ita docet Glossa in c. quia diversimodum. 5. de concess. præb. & ibi Innocentius n. 17. Beroius n. 15. Decius n. 7. Covarruv. Præb. c. 9. n. 1. Gonzal. ad c. 2. h. t. n. 7. ubi n. 1. plures congerit Auctores, contra Glossam in c. 2. de Sede vacante Abb. & Suarez apud Gonzalez d. n. 7. Excipiuntur tamen casus, quo notorium est, quod confirmatio per subreptionem, vel alia nulliter sit obtenta. c. 2. h. t. in eodem casu, quo confirmatio rei litigiosa est imperata. c. 1. h. t. (R. P. Eichler Decisiones.)

Nec fundamenta contraria infirmant, minus enervant argumenta nostræ decisionis. Ad I. negatur *Min.* cujus falsitas patet ex nostris argumentis. In c. 2. § 5. allegatis est sermo de confirmatione per subreptionem manifestam obtenta, vel super re litigiosa, quos casus excepimus. Ad II. *N. conf.* licet enim confirmatio in forma communi nihil tribuat de novo, & actum aliàs invalidum non roboret, nec validum reddat, quia tamen per confirmationem hujusmodi Superior manum apposuit, operatur hunc effectum, ut inferior in dubio de valore actus cognoscere nequeat. Ad III. Imprimis non videtur esse dubium, an confirmatio actus à Superiore facta impediatur cognitionem inferioris; dein licet esset aliquale dubium, tamen affirmativa longè melioribus innuitur fundamentis, & ideo præferenda, non obstante præjudicio inferioris, quod Superior potuit, & per appositionem manûs voluit inferre inferiori, adimendo ipsi potestatem cognoscendi de actu confirmato, sicut adimit per confirmationem in forma speciali etiam juxta adversarios. Accedit, quòd, si diceretur inferior posse cognoscere de actu confirmato in forma communi per Superiorem, huic etiam inferretur præjudicium vel ejus auctoritati, quam semel interposuit: facilius autem admitti debet præjudicium inferioris, quàm Superioris. Ad IV. *N. Min.* In d. c. 10. Judex inferior non cognovit de negotio per Pontificem confirmato ut Ordinarius, & jure proprio

prio, sed ut Delegatus, & per specialem commissionem Pontificis, quia ibi adduntur verba, *nostra auctoritate*. Ad V. *Dist. conf.* ergo in potestate inferiorum est cognoscere & dispo- nere de actu per Pontificem confir- mato, ubi confirmatio habet tantum rationem accessorii, vel respicit actum aut omissionem merae facultatis, & in arbitrio potentium confirmationem

relictam. *C. conf.* ubi confirmatio est data per modum legis, actum ad be- avocantis, & non relinquens in ar- bitrio aliorum, ut ordinari contine- git, & praesumi debet, nisi de oppo- sito constet. *N. conf.* De prioribus intelligenda sunt jura in oppositum legata: de posteriori autem non de- decisio.

*Finis Libri II.*

DECRETALIUM GREGORII PAPAE  
IX.

LIBER III.

TITULUS I.

De Vita & Honestate Clericorum.

DECISIO LXXIV.

De Parocho togam brevem violacei coloris gestantem

SPECIES FACTI.

**R**uffus in celebri quodam oppido  
Parochus togam violacei colo-  
ris, & usque ad genua solum pro-

tenfam, sibi comparavit, in eaque  
quoties in Urbe Episcopali compar-  
Quo habitu indutum, & superio-